

pro neccessitate predicta, quam expendiderunt et expendere habuerunt et oportebat, et quod postmodum non pervenerunt ad pinguiorem fortunam seu statum, quod potuissent vel possent in toto vel in parte de huiusmodi debito satisfacere ipsis creditoribus. Quodque etiam preceptor dicte domus pro tempore existens singulis annis habuit, habere consuevit et habet sustinere etiam neccessario onera infrascripta et expensas infrascriptas subire occasione possessionum et agrorum ipsius domus, ut bene colantur, et hospitalitatem tenere et sustinui et sustinere et fecit et tenuit presertim, ut infra sequitur. In primis ipse preceptor expendit et expendere neccessario habet tam pro se quam pro militibus et oblatis predictis et familia ipsorum et hospitibus ibidem affluentibus singulis annis LXXX molter siliginis in pane et LXX molter in brasio in cervisia et LX molter avene in pabulacionibus salvo pluri, que valuerunt et valere consueverunt et valent singulis annis ducentos florenos auri de Florencia exstimacione comuni, exceptis carnibus, piscibus et aliis vite neccessariis. Quodque etiam predictus preceptor annis singulis nomine dicte preceptorie ministrare et solvere tenetur nomine usufructus XVIII molter siliginis, que valent singulis annis XXIIII florenos auri de Florencia, et XXX marcas dictorum denariorum, que valent quolibet anno LXXX florenos auri de Florencia estimacione comuni, una cum salario familiariorum suorum salvo pluri. Ex quibus premissis apparere potest et apparet, quod expense et onera dicte preceptorie fuerunt, erant et sunt maiores et maiora quam fructus, redditus et proventus dicte domus, et quod etiam facta estimacione vera et legitima de ipsis fructibus, redditibus et proventibus ad dampna, expensas et debita predicta ipsius preceptorie, de quibus et prout supra descriptum est, dicte expense et onera preceptorum et preceptorie excedebant et excesserunt valorem dictorum reddituum, et quod dicti redditus non suppetebant nec suppetunt ad expensas et onera huiusmodi supportanda. Premissa omnia et singula tamquam publica et notoria in civitate et diocesi Osnaburgensi vestre reverencie nos frater Fredericus preceptor predictus obediencie filius nostro et prefatorum militum ac oblatores nomine meliori modo et forma, quibus possumus, duximus intimanda. Requirentes te notarium etcetera. Acta sunt hec anno, indictione, die, mense, hora, loco, pontificatu et testibus quibus supra.

[Signum] Et ego Iohannes Domhof de Widenbrughe clericus Osnaburgensis diocesis publicus imperiali auctoritate notarius, quia propositioni, lecture, dacioni, iuramenti prestacioni et singulis premissis una cum prenomatis testibus presens interfui eaque fieri vidi et audivi, et hoc presens publicum instrumentum exinde confeci et scripsi,